LUDOVICO MAGNO
IN NATALES
H.J.v.77.
(25.)
SERENISSIMI
BRITANNIÆ DUCIS
ODE.

FElicitati Cumulus acceſſit tuæ,
LODOICE, natus abnepos!
Hinc Sceptra genti certa BORBONIÆ manent,
Hinc Columen æternum tuis.
Defenſa proavo Gallia, & nepotibus,
Serieque natorum inclyta,
Nihil eſt quod optet melius, aut poſcat deos;
Sortiſve quod metuat malæ.
Procul hinc Erinnys illa, quæ ferro, & face,

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE

Regum Juventuti imminet:

Miſcetque diris cuncta factionibus;

Atque exteros hoſtes ciet.

Matura Sceptris ecce tractandis manus

Non una LODOICUM adjuvat;

DELPHINUS alter à Patre, atque uno minor;

Avoque BURGUNDUS nepos

Prope par vel ipſi, ſcilicet fuerant ſatis,

Felix ut eſſes Gallia!

Sed ecce quod nec vidit anterior dies,

Fors nec videbit poſtera,

Regi abnepotem regium ſuperi annuunt,

Et prole nos quarta beant.

I! nube felix Auſtria! & multa tuum

Tutare progenie decus!

Parte quoque ab illa vinceris. Sterilis thorus

Proh quanta tibi damna intulit!

Teſtes Iberi! ſtirpe qui de Gallico

Solio indidiſtis ſurculum.

Neque vos PHILIPPUM pœnitet regno frui,

Tot nobilem victoriis;

Dum lenta penſat anteceſſorum otia

Martis ſecundi laureis.

Dein mille vigeas auĉta crementis domus
BORBONIA natorum ferax!
Nec Sceptra deerunt, ulla ſi vati fides,
Numeroſa quæ ſoboles gerat.
Nam ſi Paterna pluribus non ſunt ſatis
Externa ſe ſponte offerent.

J. ARTHUIS S. J.

BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE